

Augusti animo, quum eum irâ incitatum videret. Jus aliquandò dicebat Augustus, et multos morte damnaturus videbatur. Aderat tunc Mæcenas, qui circumstantium turbam perrumpere, et ad tribunal propriùs accedere conatus est; quum id frustrâ tentasset, in tabellâ scripsit hæc verba: *Surge tandem carnifex*: eamque tabellam ad Augustum proiecit, quâ lectâ Augustus statim surrexit, et nemo est morte multatus.

HABITAVIT Augustus in ædibus modicis neque laxitate neque cultu conspicuis, ac per annos amplius quadraginta in eodem cubiculo hieme et aestate mansit. Suppellex quoque ejus vix privatæ elegantiae erat. Idem tamen Romam, quam pro majestate imperii non satis ornata invenerat, adeò excoluit ut jure sit gloriatus marmoream se relinquare, quam lateritiam accepisset. Raro veste alia usus est quam confectâ ab uxore, sorore, filia, neptibusque. Altiuscula erant ejus calceamenta, ut procerior quam erat videretur. Cibi minimi erat atque vulgaris. Secundarium panem et pisiculos minutos et ficus virides maximè appetebat.

AUGUSTUS non amplius quam septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas, sed ita ut in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare non posset, lectores arcessebat, donec resumeret. Quum audisset senatorem quemdam, licet ære alieno oppressum, arctè et graviter dormire solitum, culcitram ejus magno pretio emit: mirantibus dixit: “ Ha-